

surpaverit : exceptis specialibus quibusdam actionibus divinis, & miraculis, per quæ Majestatis sibi communicatæ radios quasi quosdam sub assumpta servi forma interdum elucere Caro Christi voluit.

23. Neque enim, ut gens Sacramentaria impie contendit, miraculorum ἐνεργειᾶ soli divinitati Christi, sed toti personæ, ac proinde utrique nature simul est ascribenda : respectu tamen diversissimo : Divinæ nimirum principaliter, & tanquam primo miraculorum principio : Psal. 72, 18. Humanæ verò personaliter, propter unionem hypostaticam, quæ mediante λόγῳ in ea, per eam, & cum ea miraculorum ἐνεργειῶν exeruit.

24. Vnde disertè vis divina è Sacrosancto Christi corpore egressa, ac hæmorrhousam à sanguinis profluvio liberasse legitur, Mar. 5, 30. Luc, 8, 46.

25. Pertinent autem ad miserrimam hanc ἐκείνου conditionem omnes infirmitates, quas nobiscum (excepto peccato, Hebr. 4, 15.) communes habuit, & quæ unquam uspiam in Sanctissimo suo corpore & anima Christus pertulisse in scripturis legitur.

26. Cui miserrimæ conditioni Christum neque casu fortuito, neque solo hominum arbitrio subiectum fuisse ; sed sponte sua se submisisse, testatur Apostolus, dum ipsum non rapinam arbitratum esse τὸ εἶναι ἰσὸν θεῷ æqualem esse Deo, sed semetipsum exinanivisse pronunciat Phil. 2, 6. & 7. Ies. 53, 7.

Quæ